

D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S M E D I C A

D E

I M P E T I G I N U M S U P P R E S S I O N E ,

Q U A M C O N S E N S U E T A U C T O R I T A T E

E X C E L L E N T I S S I M I A C I L L U S T R I S S I M I

D O M I N I

P R A E S I D I S E T D I R E C T O R I S ,

P E R I L L U S T R I S A C S P E C T A B I L I S D O M I N I

D E C A N I ,

N E C N O N

C L A R I S S I M O R U M D . D . P R O F E S S O R U M

P R O

D O C T O R I S M E D I C I N A E L A U R E A

R I T E O B T I N E N D A I N A N T I Q U I S S I M A A C C E L E B E R R I M A

U N I V E R S I T A T E V I N D O B O X E N S I

P U B L I C A E D I S Q U I S I T I O N I S U B M I T T I T

Cölestinus Eugger de Staudach,

Rhaeto - Austriacus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die
Martii 1831.

V I E N N A E .

T Y P I S L . G R U N D I I .

M D C C C X X X I .

PERILLUSTRI AC DOCTISSIMO

DOMINO

ERNESTO RINNA DE SARENBACH,

MEDICINAE DOCTORI, C. R. MEDICO AULICO,

NOBILI PROVINCIALI TYROLIENSI, INCLYTAE FACULTATIS
MEDICAE VINDOBONENSIS MEMBRO ORDIN.

gratitudinis ac venerationis testimonium.

P r a e f a t i o.

Millenii dissertationum inauguralium mea quoque, legi academicae obediens, accedit. Cujus pro materia selegi suppressionem exanthematum chronicorum, argumentum, quod tum gravitate sua, tum frequentia fere quotidiana in praxi medica, singularem in se convertebat attentionem meam. Laborem solummodo ad exanthemata chronica, acutis omissis, restringendum censui, cum illa facilius in genere tractari queant, quam haec, quae non tantum respectu aetiologico ac prognostico ab illis valde differunt, sed etiam inter semet ipsa varium ostendunt discrimen; mihiq; sub hac rerum conditione, qua nunc versor, non liceat, fusiozem tractatum in lucem edere.

Morbos sepciales non attigi, nisi omnino mihi videbatur necessarium. Quod experientia propria minimam, experientia vero medicorum practico- rum maximam efficiat partem hujus opusculi, non est, quod contendam. Ad evitandas citationes numerosas dis- sertationi adjunxi indicem autorum, praestantiora hac in re relinquentium.



Autor.

§. 1.

Quodsi impetigo e cute, qua substrato suo, evanescit, indeque novus exurgit morbus, illam esse suppressam, retropulsam, dicunt medici.

Cum de impetiginis suppressione agimus, adnotare oportet, nos sub nomine impetigo hic intelligere morbum dermaticum, qui vel absque ulla febre incedere solet, vel, si quae adest, illam non, nisi modo accidentali comitem habet.

§. 2.

Morbus cutaneus, sedem suam primitivam et propriam derelinquens, characterem suum generalem mutare nequit; cujus si quis contrarium contenderet, contra theoriae aëque ac experientiae leges peccaret. Nam processus aliquis morbosus eandem sibi vindicare potest naturam, modo in hoc, modo in alio quocunque organo viguerit. Morbus organi interni, qui sequitur inflammationem a cute repulsam, in organo isto haud alius erit, quam iterum inflammatio. Observamus sat saepe post exanthematum suppressionem in organis internis tales mutationes, quales vigente adhuc exanthemate in cute conspiciere licuit. Experientia porro edocemur, in morbis, impetiginum suppressionem excipientibus ista remedia optimo

cum fructu adhiberi, quae morbo dermatico profligando paria reperiuntur.

§. 3.

Longe aliter hic se habebit res, si agitur de morbi forma. Morbus enim, mutatis rationibus loci et organi, omnibus numeris eundem sensibus nostris sese repraesentare nequit. Inflammatio a cute evanita modo meningitidis, modo pneumoniae, modo gastritidis nomine veniet, prout vel meninges, vel pulmones, vel ventriculum pro sede sua elegerit.

Huic asserto minime repugnat observatio, quod exanthematis, ponamus inflammatorii, suppressionem sequantur morbi nervosi; nam talis status irritativus aut inflammatorius, modo acutus, modo chronicus tam facile in nervis potest obtinere, ac in alio quocunque organo, quamvis per autopsiam cadaveris non in omni casu ad oculos talis mutatio demonstrari queat; quod autem talis processus in nervorum sphaera obtinens in eorum functionem vario modo influere debeat, nemo negabit, ut igitur verum assertum, in repulsione impetiginis tolli quidem morbi symptoma, non autem ipsum morbum.

Inde etiam sequitur, quod a sola morbi consecutivi forma nullatenus ad exanthematis praegressi speciem concludere valeamus.

§. 4.

Ad explicandum phaenomenon suppressionis exanthematis alicujus, in quantum hoc scientiae medicae hodiernae licet; tria momenta praeci-

puam attentionem merere mihi videntur, partium scilicet nexus organicus interior, functionum affinitas et leges sympathiae. Itaque primo considerandus venit magnus cutis cum systemate membranarum mucosarum nexus, quo ambo in contiguitatem mutuam ponuntur, unde fit, ut affectione morbosa in cute suppressa, in membrana mucosa processus abnormis exurgat, priori fugato simillimus. Sic depulsam a cute, qua sede sua principali, scabiem non raro excipit blennorrhoea pulmonum.

Functionum analogiam magnum hic tenere dominatum, experientia confirmatum habemus, qua edocemur, quod in longe plurimis casibus effectus suppressionis inimici in ejusmodi organis in conspectum veniant, quibus magna cum cutis functione affinitas, uti in pulmonibus, in canali alimentari, in organis uropoeticis toties observare licet. Quantus denique campus hic sese offert lusui sympathiae admirando, in organo cutis, latissime extenso, maximo vasorum omnis generis nervorumque apparatu instructo, amplissimo igitur irritabilitatis sensibilitatisque foco, tam multiplici negotio et organico et vitali destinato! In quem respectum doctrina de secretionibus vicariis, quam celeberrimus Hartmann modo simplici ac naturae conveniente exposuit, summam mereatur attentionem, ut quae plurimum in revelanda hac re luminis adferre valebit.

§. 5.

Ad impetiginum retrocessionem organismum

disponunt cutis justo tenerior sensiliorque; influxibus atmosphaerae infaustis anxie evitatis effeminata, quales reperitur in infantibus, feminis, hominibus delicatulis, corpus suum vestimentorum mole obruentibus; temperamentum sanguineum; neglecta cutis cultura. Hiemis tempus his affectionibus aequae favet, cum vitam cutaneam deprimit, eam in organismi penetralibus concentrans. Quae vero hic loci maximam inferunt vim, sunt aetas senilis, et habitus quidam morbosus organi alicujus interni. Organismus senilis ob languentem renisum vitalem, qui tandem secretioni cuidam morbosae debite sustentandae impar fit, exanthematum retrocessioni quam maxime favet; cum ex altera parte sub hoc vitae stadio praevalens metamorphosis regrediens magnam materierum, nota organica exutarum, molem prociat, quae, ex debilitate organorum se et excretioni inservientium, in organismo retenta, turbas majores non provocare non potest.

Quod efflorescentiae cutaneae retrogradae organa debilitata atque opportunitate quadam ad morbum praedita aggrediantur, experientia confirmatum videmus. Sic in homine, habitu sic dicto phthisico praedito, pulmones, in alio, canalis alimentaris debilitate laborante, ventriculum vel intestina aggredi amant. Haec nunc organi certi dispositio ad morbum aliunde fugatum concipiendum ad summum usque gradum evecta esse potest, ut minima ansa sufficiat ad morbum secundarium excitandum.

Magni momenti consuetudo habenda. Dantur enim morbi, inter quos impetigines non ultimum tenent locum, qui, si diutius constant, temporis tractu vitae plasticae peculiarem et propriam imprimunt notam, ut ejusmodi processus vegetativi anomalia organismo quasi in consuetudinem cesset, ac incaute sufflaminata, rationibus vitae internis non mutatis, symptomata morbosa alia in lucem edat multo graviora. Certae evolutionis organicae epochae, seu anni climacterici sensu latiori, ut morbis dermaticis omnino faveant, ita saepissime eorum suppressionem gravi mulctant poena. Huc pertinent periodus dentitionis primae et secundae, ingruens pubertas, in feminis insuper fluxus catamenialis, ejusque abolitionis tempus.

§. 6.

Retrocessionis causas indagantes occasionales offendimus ventriculo ingesta, quantitate vel qualitate peccantia, animi affectus et pathemata, spasmos varii generis, evacuationes symptomáticas profusas. Inter causas psychicas eminent ira, terror, metus, moeror, quarum agendi ratio partim ex spastica cutis contractione, partim ex depressa certorum organorum vitalitate, et turbato in singulis functionibus aequilibrio derivari poterit.

Ad causas externas vulgares pertinent frigus, sive per aërem, sive per aquam, lotionem, balneum locum cutis aegrotantem attingat; remedia externa varii generis, inter quae siccantium titulo distincta eminent, dum sola, quin morbus oppor-

tunis pharmaciis internis debelletur, huic, jam non amplius topico, opponuntur. Huc itaque pertinent praeter innumera alia sulfur, calcaria, cuprum, zincum, plumbum in praeparatis et compositionibus variis, in pulvere, solutione, linimento, unguento, emplastro etc. applicata. Sed nec sola fortiora et remedia sic dicta heroica hujus cul-pae accusantur; quin et olea pinguia vegetabilia, pinguedines animales et cerata, quae alias modo agendi blandissimo placere solent, justae suspicio-ni succumbunt.

In genere suppressio impetiginum frequentius ac facilius usum ejusmodi remediorum sequi solet, quae vitam in cute deprimunt, quae, fors ex ipsa hac causa, a cutis vasculis minus resorpta, ad or-ganismi interiora haud deferuntur; atque tali ra-tione effectum suum non ultra applicationis locum extensum, hinc non nisi localem producant; cum alia, a vasis lymphaticis cutaneis lubentius recep-ta, indeque in circulum sanguinis tracta, vim suam latius diffundentia, internam morbi conditionem potius tollant, quam noxam inferant: quod v. g. obtinere solet sub applicatione remediorum mer-curialium externa.

Natura causarum dictarum, earumque actio-nis gradus ac tempus plurimum influunt ad deter-minandam morbi provocati speciem et modifica-tionem. Cum in casibus longe plurimis efflores-centiae cutaneae critici quid involvant, quo orga-nismus a scoriis semet ipse liberare conatur, non mirum est, cur ex suppresso hoc naturae opere,

tam saepe symptomata gravia imq periculosa emergant. Sed interdum haec causa vel ex aegri verecundia, vel ex medici in eruendis anamnesticis negligentia hujus cognitionem effugiet.

§. 7.

Favente ergo cutis dispositione ac agente potentia tali inimica fit, ut, processu morboso primario quasi abscisso, longe molestiora saepiusque ominosa mala in organismi humani penetralibus exurgant, quae non raro omni vitae et medici molimine superiora miserum morti tradunt praematurae. Qui tristes effectus eo magis timendi veniunt, quo magis adfectio cutanea morbi localis limites excedens, dyscrasiam, ut ita dicam, impetiginosam produxit, aut quo certius illa cachexiae scrophulosae, arthriticae, syphiliticae symptoma esse videtur. Quamvis autem remediorum externorum usus in iis praepremis exanthematibus male cedat, quae notabilem dyscrasiae speciem comitem habent, tamen idem phaenomenon nonnunquam observare licet in tali morbo dermatico, qui et recens et stricte localis esse videtur, quod facilius explicare haud valemus, quam ea ex lege cujusvis processus dynamici, qua iste necessario certum temporis spatium ac certas mutationes prius permeare debet, quam finem suum possit attingere.

§. 8.

Morbi, qui ex impetiginibus suppressis oriri solent, sunt: Inflammationes variorum organorum, inter quas praecipuae, quae meninges, oculos, aures, pulmones ac pleuram, cor, cum pericardio,

ventriculum, intestina, hepar, renes, vesicam urinalem infestant; mala inde emergentia, hydropes, blennorrhoeae, suppurationes, exulcerationes, phthises, indurationes, icterus, tympanites, mictus difficilis; febres acutae et lentae; profluvia, veluti diarrhoea, lienteria, fluxus coeliacus, vomitus, cholera, diabetes; morbi nervosi vel puri, vel aliis juncti, inter quos apoplexia, vertigo, cephalaea, mania, melancholia, hypochondria, hysterismus, epilepsia, catalepsis, amblyopia, amaurosis, baryecoja, cophosis, cardialgia, anorexia, fames morbosa, colica, tremores, spasmi tonici atque clonici, paralyses omnis generis referri merentur.

Specialim post retrogradam scabiem praeter adfectiones modo nominatas catarrhum suffocativum, phthisin tuberculosam, mictum et vomitum cruentum, furunculos atque bubones, exanthemata varia: lethargum, aphoniam, cataractam, satyriasin, stupiditatem, statum chloroticum observarunt. Post herpetem male curatum phthisis pituitosa, catarrhus chronicus, pectoris oppressio, asthma humidum; otorrhoea, catarrhus vesicae urinariae, leucorrhoea, palpitatio cordis; hepatitis, lienis, glandularum, mesenterii, uteri, vesicae urinalis, prostatae tumores ac indurationes; vitia organica cordis et vasorum majorum, necrosis.

Tinea praepostere fugata metastases ad meninges, cerebrum ipsum ad oculos, aures, pulmones et hydrocephalum, apoplexiam, eclampsiam, epilepsiam, maniam, amaurosin, eophosim; mor-

bos alios nervosos, indurationem glandularum cum cachexiis inde emergentibus, tabem, hydropem, phthisim, chronicum intestinorum fluxum suscitare amat: achores insuper aurium fluxum, artus alicujus siderationem, febres lentas, putridas, arthritidem, artuum contracturam, metastases purulentas provocarunt. Plicam polonicam in evolutione retentam praeter morbos jam praedicatos interdum exceptit dyscrasia scorbutica: crustam serpiginosam suppressam convulsiones, imo apoplexia (Hufeland): lichenes retrogrados febres inflammatoriae et inflammationes, plerumque, quin impetigo denuo appareat, sanabiles. Repulso strophulo per refrigerium admissum vomitus, diarrhoea, convulsiones apparuere. Intertriginem retro aures infantum florentem praeprimis sub dentitionis periodo non absque periculo remediis externis tractari posse, ostendit experientia medicorum (B a c k e r). Chloasam repulsum inflammationem faucium produxisse P. Frank refert. Furunculi, quibus sub certo respectu inter impetigines locum assignare possemus, nonnumquam, si eorum suppuratio retenta fuerat, affectiones graves excitarunt, quas inter inflammatio et exulceratio coxae cum febre lenta dicenda venit.

Accidere solet quandoque, ut adfectio quaedam interna, ex impetigine retropressa ortum ducens, modo inepte tractetur, in alium transiliat morbum, hic offensus iterum aliam assumat faciem, et sic porro, ut tandem series habeatur morborum, eandem radicem participantium, donec

causa perspecta atque tractamine rite instituto re-
ducatur sanitas.

§. 9.

Nequaquam vero credendum, omnem impetiginem in quolibet casu, ubi cutem relinquere cogitur, seriem phaenomenorum dictorum deplorandam inferre, nam non adeo raro observare licet, quod aeger a nullo tantorum hostium contrectatus ad integram reducatur sanitatem. Sub hac enim conditione plerumque fit, ut vigentibus vitae viribus, et illaesis organorum constitutione ac functionibus, organa se- et excretionibus dicata secretionem quodammodo vicariam suscipiendo humorem excernant, quantitate excedentem et indole simul mutatum; quo officio ut plurimum organa uropoëtica fungi solent. Sine dubio hic optimus est, et semper optandus impetiginum repulsarum exitus. Inde simul haud difficulter intelliguntur creberrima in praxi medica exanthematum sine noxa suppressorum exempla; inde derivanda ista curandi fortuna, quam agyrtae audaces ad taedium usque jactitant, et qua non raro medico rationali ac circumspecto palmam praeripiunt.

E contrario nonnulla malorum dictorum modo adeo lento et clandestino irrepunt, ut illorum causa, exanthema suppressum, medicum facile effugiat, quod non raro in phthisi, ex scabie praepostere sanata ortum ducente, locum habere videtur. Hujus rei certior fit, cui plura nosocomia militaria visitare facultas conceditur, in quibus scabies plerumque non nisi externe tractatur; qua brevi

liberati, milites nosocomium deserunt, verum post aliquot hebdomades vel etiam menses eorum plures recurrunt, non quidem scabie, sed phthisi pulmonali laborantes.

Praeterea non dubitandum, dari certas efflorescentias cutaneas, cum dyscrasia notabili nexum intimum foventes, quae certo tempore recedentes, gravia generant symptomata, dum alio tempore a cute disparentes plane nullas relinquunt sensibiles mutationes in partibus internis. Prout enim morbus principalis, e. g. scrophulosus certis anni temporibus vi majore in organismo dominatur, aliis mitius gerit imperium, etiam a suppressa impetigine scrophulosa nunc eximii, nunc plane nulli exsurgent effectus.

§. 10.

Quod morborum quis impetiginem incaute sufflaminatam pro causa agnoscat, etsi communiter non ardue eruatur; tamen in nonnullis casibus peculiari indiget industria haec cognitio; cum non ubique ex anamnesticis pateat, et nonnunquam accidere possit, ut morbus *post* exanthema suppressum oriatur, quin *ex* eo succrescat, deficiente nexu morbum inter primum et secundum causali. Vocatur e. g. medicus ad senem vertigine laborantem, cujus morbi causam aeger asserere nequit; medicus morbum debellat armis antiphlogisticis, derivantibus, tonicis, nervinis, non cedit hostis. Alius Hippocratis discipulus accersitus eruit herpetem suppressum, ab aegro non indicatum. Revocato herpete vertigo cessat. Potuis-

set hoc in casu vertigo adesse, quin in nexu fuerit aetiologicalo cum morbo cutaneo, tunc vero herpes revocatus morbum alterum certe non sustulisset.

Observare quandoque licet, quod orta gravi inflammatione interna impetigo quaedam, cutem hucusque defoedans, derepente evanescat, et medico minus attento pro causa istius inflammationis imponat; dum revera morbi cutanei cessatio potius effectus sit morbi interni exsurgentis. Sub hac enim conditione morbus dermaticus, viribus organismi aliorum conversis, constare nequit, ut in processu morboso altero quasi exstinguatur.

Ad faciendam igitur diagnosim veram, non sufficit scire, impetiginem esse praegressam morbo praesenti; sed oportet etiam eruere rationem inter utrumque morbum; in quo opere medicus practicus nonnumquam in obstacula offendit vix superanda.

§. 11.

Quodsi exanthema, influxu quodam externo causatum, ac recens ortum solae remediorum externorum applicationi cedit; fere nunquam inde damna observantur; quae vero in omni casu timenda erunt, ubi dispositio ad impetiginem haereditaria obtinet; ubi morbi fugati ratio non sola in cutis vita alienata, sed et in sublata functione aliorum organorum vel normali vel morbosa reconditur, ut in impetigine ex suppressione fluxus menstrui, haemorrhoidalis, urinarum, ex impedito insultu podagrigo etc.; ubi digestio, adsimilatio, sanguinis elaboratio a recto tramite aberrans

in causa est, velut in efflorescentiis cum sordibus gastricis in nexu existentibus; ubi morbi cujusdam crisis per exanthematis eruptionem contigit; ubi denique morbus cutaneus syphilidem, scrophulam, arthritidem, diathesim canceraticam repraesentat.

Inter impetigines repulsas saepissime scabies, herpes, tinea et plica polonica; minus frequenter crusta lactea, serpiginosa; rarius lichenes, strophulus, intertrigo, prurigo, sudamina; rarissime cetera exanthemata chronica effectum progenuere infaustum.

§. 12.

Prognosis in morbis his secundariis variat pro exanthematis praegressi ac morbi praesentis natura, forma, gradu sedeque, pro majore vel minore difficultate illius revocandi, pro diversa subjecti constitutione. Quo majorem cutis plagam impetigo exstincta prius occupaverat, quo copiosior fuerat ejus secretio morbosa, quo nobilior pars nunc affecta, quo majora morbus praesens cepit incrementa, quo debilior aeger, eo minor salutis restituendae spes medicum affulget. Neque quis credat, exanthema quodvis chronicum, ablata causa principali interna, remediis externis tuto posse profligari. Si e. g. vir, ad morbos pectoris valde dispositus, laborat herpete syphilitico, certe consultum non erit, debellare herpetem ab extus, etiamsi morbus syphiliticus penitus sit exstinctus. Hic enim organismus, secretioni pathologicae asuefactus et assimilatus, si ita dicere licet, non

fert, ut haec derepente suffocetur, quin in pectore sedem eligat vicariam.

§. 13.

In genere quod attinet therapiam, haec esse potest prophylactica, vel curativa. Scopo primo satisfaciet medicus, tranctando impetigines juxta praecepta therapiae rationalis, simulque docendo aegros, quid agendum et omittendum sit, ut causa retrocessionis, quantum fieri potest, retineatur atque amoveatur.

Qualiscumque impetigo aegri cutem defoedet, primum erit medentis officium, nec unquam omitendum, determinare, an contra eam quid agendum, modo vel directo vel indirecto, an potius sibi ipsi sit relinquenda; probeque caveat, qui hujus curam suscipit, ne votis aegri urgentibus nimis blandiens, vel falsis curationis expeditae illecebris obnubilatus, morbum ab extus impetuose aggrediens, aegro vitam, sibi famam auferat. Si exanthema esset symptomata chloroseos, scrophularum, arthritidis, vel in organismo senili nidularet, nec peculiarem induceret cachexiam vel tabescentiam, potius esset fovendum, quam extinguendum, donec ejus conditiones internae sublatae fuerint. Ubicunque a cura impetiginis externa aliquid timendum est, prius, quam hanc ipsam aggrediatur, secretionem excitare nitatur vicariam. Sub tractamine externo nunquam non ratio est habenda colatoriorum organismi communium, cutis nimirum, renum, canalisque alimentaris, quorum

functiones vigentes certiore[m] tutiore[m]que reddunt curam.

Cum autem exanthematum curam aegroti ut plurimum negligant, dictos morbos vilipendentes, ac maxima pars hominum a medico consilium non petat prius, quam versetur jam in periculo, ipsa arma contra hostem non e longinquo minantem, sed contra istum jamjam irrumpentem vertenda erunt.

§. 14.

Ut aegrum a morbo secundario, in impetigine retrograda radicante, liberet, medicus duas indicationes generales adimplendas habet, quarum altera ipsam impetiginem ad cutem revocare, vel saltem adfectionem isti analogam excitare, altera morbum consecutivum, qua talem aggredi jubet. Quae regulae mox ambae simul, mox altera post alteram explendae sunt; perraro earum una sufficit ad consequendum scopum praefixum: quandoque morbus progenericus retrogradus cum secundario simul oppugnari potest.

Ut primae indicationi satisfaciat, medicus ante omnia in causam retrocessionis inquirat, necesse est, quam cognitam vel amovere, vel destruere, vel saltem debilitare conetur. Quodsi recessus impetiginis ab inflammatione gravi interna inductus fuerit, cura hujus juxta therapiae regulas instituta illius reditum sollicitabit; si animi motus in causa esset, illius compositio et tranquillitas reconciliata optimum esset remedium; si virium vitalium de-

crementum inculparetur, harum refocillatio ac restauratio exanthema fugax restitueret, e. s. p.

§. 15.

Ad exanthema chronicum, in organismi penetralia rejectum, ad ejusdem superficiem revocandum remedia interna et externa nobis praesto sunt, ex classe pharmacorum stimulantium, solventium, acrium, narcoticorum desumpta, atque in eo inter se convenientia, quod cutis vitam omnesque ejus functiones erigunt, vel et in modo mutant. His adnumerari merentur, quae principio aromatico scatent, plantae, et quarum praecipue flores chamomillae, sambuci, cortex cinnamomi, radix serpentariae, lignum guaiaci; spiritiosa, quorum princeps vinum; aetheres; ammoniacalia et inter haec spiritus C. C., liquor C. C. succinatus, acetas ammoniae; camphora; moschus; electricitas. Huc porro deferenda pharmaca emesin cientia, e quibus excellunt tartarus emeticus et ipecacuanha; tandem narcotica nonnulla.

Ceterum non praetervidendum, horum remedium non eundem esse effectum, sed eorum singulum certam et a ceteris omnibus distinctam monstrare agendi rationem, qua certae quoque morbi formae ac modificationi prae aliis conveniat.

§. 16-

In specie aromatica et spiritiosa stimulando agunt in vasorum nervorumque systema, sanguinem expandunt, calorem et turgorem augent,

laticem vitalem in vascula minima propellunt, ac modo magis secundario cutis vitam excitant. Inde elucet, eorum usum sub tractamine impetiginum retrogradarum limitibus arctis esse circumscribendum; ne, contra necessitatem propinata, flammam, quam exstinguere deberent, potius nutriant atque intendant. Conveniunt in malis nervosis non febrilibus, modo inflammationis ac congestionis signa desint, forsan in malis quibusdam organicis ejusdem originis, faustum exsererent effectum.

Quidquam largiorem usum admittunt praeparata ammoniac, ut quae nervos potenter excitare, et modo fere specifico in cutem agere solent, quin in systemate sanguifero tantos progignant motus.

Camphora magnam in refocillandis exanthematibus acutis et chronicis apud medicos practicos sibi comparavit famam. Optime cedit in iis casibus, ubi vitae cutaneae languenti succurrendum; in quem scopum interne externeque adhibetur. Respectu virtutis moschus cum ista concordat.

Quod attinet electricitatis adplicationem, observationes, quamvis non numerosae, ejus non exiguam vim docent. Sic per electricitatis usum ischuria ex impetigine suppressa orta, post hujus reditum sanabatur. Et revera potentia, quae inter naturae vires tam altum sibi vindicat locum, meretur, ut de istius in revocandis efflorescentiis virtute, saepius, quam hucusque factum est, experimenta instituantur.

Sulfur modo singulari cutem aggrediens, ejusque praeparata et connubia cum aliis remediis, medici desideriiis respondet vel exanthema revocando, vel vicarium processum morbosum proliciendo. Minime tamen convenit hominibus, morbi syphilitici nota contaminatis. Antimonii praeparata parvis dosibus in iis adfectionibus bene conducunt, ubi periculum in mora non est, atque dyscrasia scrophulosa simul observatur.

Emetica frequentius eximio cum fructu in usum tracta sunt; in spasms ceterum, vel in colluvie gastrica indicata.

E narcoticorum ordine opium frequentissime adhibitum vel solum, vel ipecacuanhae junctum, sat saepe medicorum expectationi satisfacit. Cum morphium inter organismi partes cutem saepissime aggrediatur, peculiarem in ea pruritum provocat, in morbis ex impetiginum retrocessione emergentibus debita cum cautela adhiberi quammaxime meretur. Praeter opium aconitum quoque et belladonna in nonnullis casibus non absque emolumento tentabantur.

Nonnulla horum remediorum tum causae retrocessionis avertendae, tum impetigini revocandae simul inserviunt. Ita, cum animi pathema inculpatur, valeriana, camphora, moschus, emetica, opium optime respondebunt utrique scopo; si frigus egerat externum, aromatica, spirituosa, sulfur etc. idem praestabunt.

Quaecumque autem pharmacorum dictorum in usum trahitur, aut nullus, aut insufficiens in-

de exsurget effectus, nisi calor in subsidium vocetur, sive agat per aërem, sive per fluidum liquidum, sive per corpora solida; ut igitur aucta temperatura diaphoreticorum princeps appellari possit.

§. 17.

Plura recensitorum usum quoque externum admittunt; exstant tamen nonnulla, cuti immediate applicanda remedia, e quorum numero hic commemoramus fomenta sicca et humida simplicia, aromatica, irritantia, lotiones varias, balnea topica et universalia; frictiones, vel manu nuda, vel panno laneo instituendas; cucurbitas siccas et cruentas; sinapismos tam simplices, quam cum armoracia conjunctas; emplastrum cantharidum, eorumque tincturam; solutionem tartari emetici; unguentum Autenriethi; fonticulos, setaceum, tractamen cum scopulis; urticationem, aquam fervidam, moxam, ferrum candens. Huc tandem pertinet impetiginis insitio.

§. 18.

Vesicantia immediate ad regionem partis internae adfectae vicinam applicare amant; hinc in cardialgia ad regionem ventriculi, in viciniam hepatis in hujus visceris induratione. Si vero cutis labes praegressa magis fuerat circumscripta, vel si eandem semper provinciam occupare solet, veluti in tinea observatur, tales stimuli cutanei locum impetiginis retrogradae non inepte occupare possunt.

Balnea calida egregium non raro exserunt ef-

fectum, quem ut eo certius praestent, saepius sunt repetendae. Parantur aqua vel simplici, vel impraegnata substantiis aromaticis, acribus, irritantibus, decocto sinapis confortata. Magni habentur pro balnea sulfurea, muriatica, tum ex naturae sinu scaturientia, tum arte conflata, balnea marina, sic dicta limosa (Schlamm-bäder,) vaporosa, russica seu sudatoria, ab aliquot annis etiam Vindobonae culta. An non applicatio aquae ex alto guttatim depluentis hic quoque locum habere posset?

In casibus desperatis celeberr. Autenrieth unguento usus est ex sublimato corrosivo, butyro antimonii et unguento cantharidum composito.

Insitio alicujus impetiginis fit per usum vestimentorum, materia contagiosa impetiginis respondentis impraegnatorum. Quidam scabiem per incisuras in cutem profundas transplantandam esse contendunt (Muzel.) P. Frank et M. Stoll impetiginum insitionem non probant; nihilominus in morbis posthumis, decursus quidem lenti, attamen indolis perniciosae, uti in phthisi, morbis nonnullis nervosis, scabie vel tinea retrograda ortis, nonnunquam teste experientia unicum erat, quod spem medicorum non fefellit; hinc quoque, aliis remediis frustra prius tentatis, in auxilium trahi omnino meretur.

Sub usu remediorum externorum consultum est, secretionem vicariam etiam propulso morbo secundo per longius adhuc tempus sustentare.

§. 19.

Hisce remediis recensitis morbus dermaticus saepe recurrere solet, morbo posthumo ponens terminum. Verum non ubique hoc medici conamen sequitur desideratum praetium, et tyrannus inexorabili fato saevit in deplorandum mortalem. Modo hoc accidat, modo non, adfectionis consecutivae ratio semper est habenda; imo non adeo raro fieri solet, ut missis ceteris omnibus, ista primum ac sumnum requirat luctamen, ne tractu veloci rescindat vitae filum. Exemplo sit apoplexia herpete suppresso inducta.

Mala impetiginem retrogradam sequentia juxta indolem suam diversam aliud atque aliud expostulant tractamen, quod saepissime apparatus antiphlogisticum fortiozem mitiozemve sibi vindicat. Ubique medico bene perpendendum, non posse combinari methodos medendi, a se invicem valde differentes, imo plane e diametro sibi oppositas, etiamsi hae essent indicatae, et remedia antiphlogistica non ferre stimulantium connubium; quae res intellectu adeo facilis, tamen in praxi nonnunquam neglecta esse videtur. Unde arduum erit pro medico officium, eligere illam methodum, quae respondet indicationi maxime urgenti. Melioris erit ominis, si impetiginis revocandae et morbi ex ejus suppressione orti tollendi simul prosequi valeamus conamen.

§. 20.

In morbis secundariis chronicis non raro quadrant remedia, quae contra impetigines ipsas,

seu dyscrasiam principalem adhiberi solent, antimonialia, mercurialia, sulfur, guajacum, dulcamara, succi herbarum recenter pressi, decocta lignorum, graphites (hic praesertim in blennorrhoea vaginali. Richter sp. Th. 6 B.) Sic cel. P. Frank sanavit phthisin pulmonalem ex herpete syphilitico suppresso ortam per usum mercurialium. Si exanthema chronicum suppressum sequitur adfectio interna cum larga secretione juncta, haec non supprimi, sed tantum moderari debet prius, quam impetigo in cutem redierit.



A u t o r e s.

- M. Stoll, praelectiones in diversos morbos chronicos.
Edit. Eyerl. Viennae. 1789. 8.
- Ejusdem, dissertationes medicae ad morbos chronicos pertinentes. Edit. Eyerl. Viennae. 1789. 8.
- J. P. Frank, de curand. homin. morbis epitome. Libr. VI. Manhemii 1794—1810. 8. Lib. VII. P. I. Tübing. 1811. P. II. Vindob. 1820. P. III. ibid. 1821. 8.
- August G. Richter, specielle Therapie, herausgegeben v. Georg A. Richter. Wien 1830. 8.
- W. A. Haase, über die Erkenntniß u. Cur der chronischen Krankheiten. 3 Bde. Leipzig 1817—1820. 8.
- Mercurialis de malis cutaneis. Venet. 1572.
- Zurner, Abhandlung von den Krankheiten der Haut. Aus dem Engl. Altenb. 1766.
- Tractatus de morbis cutaneis auct. A. C. Lorry. Paris 1777. Aus dem Latein. übers. von C. F. Held. Leipzig 1778. 8.
- Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung. Systematisch beschrieben von Robert Willan. Aus dem Engl. übers. von Fr. G. Friese. 4 Bde. mit colorirten Kupf. Bresl. 1799—1817.
- Alibert, descr. des maladies de la peau. A. Paris 1806.
- Ejusdem, Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. A Paris 1810.
- Jos. Frank, prax. med. univ. praecepta. P. I. Vol. II. Lipsiae 1815. 8.
-

Theses defendendae.

I.

Cura mercurialis sic dicta magna nunquam adhibenda.

II.

Dantur remedia prophylactica.

III.

Consultius est, aegro desperatam sortem suam celare.

IV.

Balnea frigida modo roborant, modo debilitant.

V.

Pertinacia et libido saepe confunduntur a medicis cum idiosyncrasia.

VI.

Constitutio robusta remediorum dosim postulat majorem.

VII.

Typhus contagiosus a febre nervosa bene distinguendus.

VIII.

Aquae soteriae naturales artificialibus quandoque postponendae.

IX.

Lithotomia ex se lithiasin non curat.

X.

Dantur morbi adnati.

XI.

Medicinam inter et chirurgiam limes non habetur.

XII.

Lupanaria civitati semper nociva.



